

SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE
BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
STEPHEN SALISBURY,
OF WORCESTER, MASS.
(Class of 1817).
15 Sept. 1874.

Programm

des Königlichen

Gymnasiums zu Quedlinburg, Prussia

für

das Schuljahr von Ostern 1870 bis Ostern 1871.

Womit

zu

den auf den 29. März d. J. festgesetzten

öffentlichen Prüfungen

der sämmtlichen Klassen des Gymnasiums

ergebenst einladet

der Director Professor Franz Wilh. Richter.

(Karl) Rudolf

Inhalt: 1) Aeschyli Cod Lavrentiani Oxoniae typis expressi praefationis lineamenta. Dr. R. Merkel.
2) Schulnachrichten vom Director.

Quedlinburg.

Druck von G. Basse.

1871.

194

1874, Sept. 15.
Salisbury Fund.

AESCHYLI COD. LAVRENTIANI OXONIAE TYPIS
EXPRESSI PRAEFATIONIS LINEAMENTA.

Codex vetustissimus Aeschyli, cuius descriptionem alio loco *) dedi, non est ita comparatus, ut aut collationibus et enotandis eis, quae solent, satis pernosci, aut typis aliave arte graphica ita repraesentari possit, uti criticorum usibus et rationibus convenit. poterit fortassis adhibita pro portione utraque opera et cura; eruntque in ea dispensatione potiores typographiae partes, quod uno in conspectu res multas ponit, quae verbis vix satis describi possunt, simulque bonam partem eorum, quae in collationibus consignantur, admittit. quae exhiberi ita non poterunt aut ad id quod agitur necesse non erit, conicienda sunt seorsum in librum commentarium, satis amplum et spissum futurum. sunt enim inibi notanda quae inlata saeculis fere quattuor posterioribus a manu secunda tertia quarta quinta adgravarunt volumen illud Florentinum et molesta qua extant complexione studiosorum assiduitatem frustrata saepe sunt aut absterruerunt; sed aliena sunt ab eo libro, cuius species eruditis dudum obversatur, in quo superiorum saeculorum quinque paradoseos vestigia sunt rimanda et emendationis disciplina instituenda. ipsam manum secundam, si fieri potuisset, in eum librum totam amandaturus eram. cur non licuerit, quo consilio aut qua necessitate pars magna eius additamentorum in istoc volumine tamen exhibeatur, infra dicetur. quaedam typis diversis sunt indicata: quaternionem primum totum eius esse manus tribus verbis monere satius erat quam dedecorare artificium Oxoniense. reliquorum, quae sine indicio incommodare sane potuerant ad quaestiones quasdam subtiliores accessuro, ratio habebitur in eo quo dixi libro. in eodem primae manus supplementa reperientur: dicetur de membranarum diversitate et quas rasuras ostendunt sub ipsa verborum continuitate; nam quae extra eam sunt, punctis indicavi: de calamorum vicissitudine et quos eorum errores prima manus inter scribendum ipsa correxerit: de atramenti coloribus et de locis evanidis quae, scilicet tempore non parvo interiecto, a manu secunda sunt instaurata: de litterarum formis insolentioribus, quae imitando expressae videantur ad codicem archetypum: denique siquae ita cum manus secundae observatione coniuncta sunt, ut aut ambigatur, utrius sint, aut litterae dimidiatae a secunda sint suppletae; quarum rerum satis frequentium manifestum est maiorem partem ne photographiae quidem ope reddi potuisse.

Sed certe quaecumque bona fide a manu profecta sunt prima, ea maxime, quibus uno obtutu comprehensis opus est ad dispicienda ac dimetienda veteris paradoseos et corruptelae documenta et confinia, satis reor plane et perspicue in his paginis CXXXVIIII exhiberi, nec egere indicio. cuius generis sint, breviter exponere licebit.

*) In libro imprimi coepto *Aeschylus in italienischen Handschriften*, pp. 5 ad 10.

Primo inter haec loco erit melicarum partium descriptio, quam codex satis singularem ostendit, nec praeter paucula quaedam a vv. dd. enotata edere totam adcurate quisquam animum induxit. satis tempestive nunc prodibit, postquam aucta indies metricae instauratae ditione Sophoclis in codice Laurentiano colometria iam ad partes vocata est. Aeschyli aliquanto vetustiorem descriptionem existimo et immunem, praeter quidem quaternionem primum, eorum quae ab interpolatoribus saec. XII profecta esse possunt. codex Aristophanis Ravennas, qui aequalis Sophocli et Aeschylo dici solet, utroque, si ex scripturae specimine iudicare potui, antiquior fortasse fuerit. inesse his codicibus doctrinae rythmicae genuinae Aristoxeneae et immutatae grammaticorum metricae saeculorum sex quae sequuntur manifesta vestigia consentaneum est: quae disconveniunt sine scripturae vitio, per calligraphos eius aevi, quod stropharum notas servatas habuit, sine fraude, caute tamen et sollerter distracta putari licebit. mihi ad earum quaestionum subtilitatem ab ea potissimum parte accedendum putavi, qua in locis aperte vitiatis momentum haud raro habent; ad quae investiganda quantivis pretii auxilium est in brevitate colorum codicis Laurentiani, in sanandis non nulla etiam saepe utilitas librorum recentiorum.

Sed antequam ad haec perveniatur, quicumque in corpore Laurentiano melica, in illa colometriae prolixitate plus quam dimidium versuum omnium numerum, perlustraverit, adducetur in opinionem, quae augurium quoddam habebit de universa poeseos Aeschyli condicione. miretur oportebit egregiam totis saepe paginis syllabarum et versiculorum strophicam responsionem, vitiis vix gravioribus, quam quae commonstrent ignorasse plane librarios adiumentum illud exigendi et exaequandi operis; fateatur in parte tam gravi veterem compagem iuncturis suis satis tenaciter perstitisse, barbariem quae in oculos maxime incurrat, inveteratam aut fraudulentam non videri. quemadmodum interpolatio licentior illa, cuiuscumque est originis, scenicae aut grammaticorum, haud infrequens in senariis, maxime Choephororum, nusquam chorica attigisse videtur, praeterquam quidem in anapaestis, ita posteriore aetate librarii festinatione tantum et ignorantia plerumque in his partibus deliquerunt. festinatio, quam ipsius Laur. scripturae genus incredibilem saepe prodit, fecit ut litterae permutarentur, syllabae omitterentur aut iterarentur, intellectus plerumque omnem curam, etiam illud genus, quod tamen reperias, cum anteceptum aliquem sensum paucarum litterarum dispendio inferunt, prohibuisse videtur. ignorantia non obstabat, quin syllabatim sollicita illa assiduitate, quam scriptura prodit, sequerentur exemplum; et vellicabat vigilantiam versiculorum brevitas: si quando tamen cessarunt aut in fine fabularum defecerunt, impegerunt sane tam graviter tamque confertim, ut numquam inveniretur, qui ante saeculum XII manum admovere auderet.

Id unum codicis Laur. prima manus admisit, ut, rarius quidem in prioribus, in reliquis frequentius fabulis, colometriae versiculi bini, postremo etiam plures, servatis tamen discriminibus, coniungerentur; quem admodum etiam reliquam veteris calligraphiae descriptionem, in exserendis aut subducendis a regula versibus et notandis interlocutorum personis, insuper habitam videas. servata ea fuit in eiusdem aetatis exemplaribus; imitatus enim est primi quaternionis scriba, quamquam non constantissime. supersunt apud hunc stropharum aliquot et systematum anapaesticorum indicia versuum porrectione et maioribus litteris primoribus, pp. 2, 9; 33 3, 16; 32; 38. nihil eiusmodi memini me observare in reliquis quaternionibus praeter signa duo pp. 20, 24 et 21, 14 et qui peropportune in Septem fabulae parodo versus 110 137 145 litteris maioribus pp. 103, 46 104, 17; 23 insigniuntur, quamquam in 137 et 145 librarium credibile est absurdam, quae toto volumine regnat, consuetudinem spectasse, qua exclamationes potissimum in versuum initiis ita perscribuntur.

Insunt praeterea in Laur. ignota adhuc non pauca Herodianeae aut pervulgatae antiquitus prosodiae ac doctioris orthographiae documenta, ipsa librarii socordia fortassis servata. in primo quaternione adsunt rarissime, in reliquis a manu secunda sedulo ac data opera expunguntur et corriguntur. non sunt, quantum nunc memini, plura aut alia quam quae ex scholiis Homericis et libris aliquanto vetustioribus Homeri et Apollonii innotuerunt; quaedam illorum maxime adminiculo dignoscuntur, adeo tenui extant vestigio. non erunt aliunde augenda, sed tamen eo, quo passim occurrunt, numero ubique restituenda et pro reliquiis legitimae Aeschyli recensionis pigneranda.

Potest enim ex his omnibus codex aliquis Aeschyli animo informari idoneae aetatis, scriptus considerate, rebus grammaticis et anagnosticis limatae artis auspicio rectis, variis scripturis quibusdam adnotatis, versibus qui bifariam idem dicerent, ut quidam sunt in Septem et Choephoris, aut aliqui suspectis receptis in ordinem omnibus, sed notis criticis, maxime antisigmate et obelo distinctis. ad talis libri similitudinem ut aliquando corpus Aeschyleum redigatur, arti criticae, si se ipsam noverit, enitendum esse putaverim; non ut resectis et reformatis quae displicent concilietur quod legi possit aut pro Aeschyli manu venditetur. quando ea res eventura sit, satis est incertum, sed exploratum ordine quodam progrediendum esse, idque a codice Laurentiano.

Ex hoc quod proxime lucremur, est notitia libri unius ex ignotissimorum eorum numero, quibus per tot saecula, elevata usque eruditione, ingravescente barbarie, poetae ea indita est habitudo, qua prodit in hoc volumine. codex mihi obversatur haud paulo Laurentiano antiquior, ut qui iniuriam quandam temporis iam perpessus fuerit; scriptus luculente, quantum ex eo colligi licet, quod colometriae versiculos numquam geminatos habuit: versibus perscriptus per paginas fere tricenis septenis, non tantopere vacillante eo numero, ac fit in Laurentiano nostro, qui p. 5 XXXXII, pp. 3 sqq. XXXXIIII, pp. 132 sqq. XXXXVIIII ostendit, adeoque in Apollonio. in extremis eis paginis versus quidam saepe evanidi erant; credo madore absumptos, ut in codice Veneto Bessarionis aliisque vidi. inde natae lacunae toto corpore quae vel observatae iam sunt, vel sunt informandae ad interpretationem expediendam: id quod facili supputatione probatur, quae tamen haud aliter procedit quam ad numerum versiculorum Laurentiani et quaternionum quidem posteriorum; primus quaedam cola dissecta habet. nam cum in Persarum v. 316 H. Porsonus lacunam unius versus indagaverit, ipse post v. 164 deesse versum suspicatus sim, quae inter hos locos in Laur. intercedunt, paginae 5 versus XXXX, integrae duae et vv. XXV, in archetypo fuerunt paginae legitimae quattuor: versus Hermanni 255 256 259 260 ab interpolatore aut scriba quaternionis contra morem veterem geminandorum dochmiacorum sunt dirempti. duarum inde paginarum spatio distat epodus illa v. 98, quae dubitationes multas movit; quamquam non putaverim tantum sibi interpolatorem sumpsisse, ut stropham lacunosam et antistropham in unum conflaret. at a v. 316 ad 465, ubi in scriptura Laur. nexus est impeditus, sunt versus XVIIII, duae paginae et XXXX; quattuor archetypi paginae, si unus versus fuit oblitteratus. inde si versus quattuor et paginas duas Laur. 12 et 13 processeris, adsunt vv. 569 ad 586, quos excidisse olim, sed e fuga retractos demonstravi librorum testimonio in editione Persarum p. 48; sunt paginae tres archetypi praeter decem illos versiculos codicis Laur. p. 14, 2 ad 11. a versu deinde 587 ad 731, quo loco duos excidisse, vix scio an satis recte, suspicatus sum, sunt versus XXXII, duae paginae et XXV; paginae archetypi quattuor integrae, si eos duos versus adnumeres. inde ad vv. 767 777, de quibus iudicium, ut potui, tuli in editione p. 57, sunt versus XVII et XXX, ut oportebat. sed si recte illa disputavi, lacuna manifesta post v. 892 informanda est versuum quindecim: si versus illi 768 ad 779 in margine scripti non fuerunt, lacunae ab Hermanno indicatae,

altera post v. 504 una pagina, altera post v. 892 versibus XXXI XXXXIII XXXVII, paginis legitimis tribus, distabunt.

In Agamemnone codices recentes Florentinum et Venetum colometriam vetustiorum servasse non peius suspiceris, quam fecisse in aliis fabulis constat. sed non multum praesidii in eo est, quod lacuna versus 970, quam Hermannus dissimulavit, ab altera v. 1421 distat in illis libris et Laurentiani paginis duabus versibus CCCCLII, qui sunt fere duodecim tricenorum octonorum vel tredecim tricenorum senorum paginae. nec inde ad lacunam v. 1519 numerus est ideoneus, sed LXXXXIII, ad proximam manifestam v. 16 LXXXXII versuum.

In Choephoris a lacuna non dubia v. 793, ubi duo versus coaluerunt, quas informavit Hermannus alteram v. 717 satis probabilem, alteram v. 823, quae fortassis medelam admittit, distant in codice Laur. LXXV et XXXV versiculis. quarta v. 943 a v. 793 abest versuum XXII, duarum paginarum et versuum XXXVIII spatio; qui numerus quattuor versibus excurrit consuetum paginarum modum. quae praeterea investigatae sunt, magis sunt dubiae nec ad paginas archetypi quadrant.

In Prometheo plurimum proficitur. manifestae sunt lacunae v. 862 et 897, intercedentibus versibus tantum XXXIIII, quo intervallo duplicato etiam quae post 862 desunt, non ea multa, ut videtur, remota sunt a v. 793, ante quem plura perierunt. itaque ab hoc loco si recesseris versibus LXV, aut si ab initio fabulae rationem inieris et intellexeris a lacuna v. 432 ad 540 in Laurentiano esse versiculos partim versu geminatos CI, paginas archetypi tres tricenorum quaternorum versuum; deinde ad v. 726 versus CLXXXVII, paginas veteres quinque versuum tricenorum septenorum, duobus excurrentibus; ab utraque parte eo devenias, ut circa v. 726 lacunam intervenisse non sit coniectare illicitum: hoc est, eo loco, qui supra modum doctos exercuit. non est credibile per ἵνα voculam a poeta Themiscyram et Thermodontem cum Salmydesso esse consociata, quae distant milibus passuum admodum D; nec veri simile Ionis iter contrarium in modum hic informasse, atque fecit in Supplicibus v. 527; aut in Prometheo soluto, fr. 201, Asiae et Europae limitem scripsisse Phasin, hic eos sequi, quos Herodotus 4, 45 dicit Tanain et Bosporum Cimmerium tradidisse. Tanaidis certe ostio in palude Maeotide locus nullus erit secundum Hermanni descriptionem, qui p. 156 Hypanin Strabonis, p. 694 extr., qui a Caucaso defluit, ex Aeschyli mente circumisse paludem, effluxisse eo loco, quo Borysthenem aut alterum Hypanin, de quo Strabo p. 107; 306, 17, eumque in ripa sinistra sequentem Ionem ex Asia scilicet in Asiam redisse demonstrat. neque enim inveniebat, quomodo v. 790 *ὅταν περάσῃς ῥεῖθρον ἠπείρων ὅρον* ad alium Bosporum quam eum, qui 730 denotatur, referri posset. atqui poterat, si alter nominatus aut indicatus paulo antea fuit; fuisse autem ipsa Salmydessi mentio indicio est, prorsus otiosa futura, nisi ad illum spectaret: ad Cyaneas usque pertinuisse Strabo dicit apud Herm. p. 156. excidisse igitur putaverim aliquid in hunc sensum

— ἀμφὶ Θερμώδονθ', ὅτου
ἐς αὐτὰ τἀπέκειν' (ἀποκρήμνοις ὁδὸν
ἐλῶσαν ἀκταῖς ἔστε) πρὸς στόμωμ', ἵνα
τραχεῖα πόντου Σαλμυδησσία γνάθος
ἐχθρόξενος ναύταισι, μητρυιὰ νεῶν,
αὗταί σ' ὁδηγήσουσι —.

proposito ita termino itineris et commemorato in proximis exordio, qua utrumque conectatur et concilietur, est notio vocis *πορείας* v. 734, ubi quae de Bosporo dicuntur, quamquam ad unum Cimmerium spectant, quia memorabilior visus, non idcirco impedient, quin verba proxima *λιποῦσα δ' Εὐρώπης πέδον* accipiantur de Thracio, de quo molestum erat multa doceri. nec v. 791 voca-

bula *ῥεῖθρον* aut *ἠπείρων* alio referri poterunt, nisi ad *Ἑλλήσποντον ῥέοντα, Βόσπορον ῥόον θεοῦ*, Pers. 747 et de eis continentibus, quae discernuntur Pers. 738.

Eumenidum lacunae quae indicatae sunt ab Hermanno quinque nescio an egregie stabiliantur supputatione nostra. versus 70, qui emendari non potest, distat a v. 561 paginis octo integris et duabus fere dimidiatis; si versiculos geminatos discernas, sunt omnes DII, octo paginae archetypi tricenorum ternorum, septem tricenorum quaternorum, praeter quidem eos, qui interciderunt. inde ad v. 622 superesse vides XXIII et XXXVI, ut aliquanto plures perisse necesse sit. inde ad v. 655 sunt XI et XXIII, ut unus desideretur. inde ad v. 842 tres intercedunt paginae, versus XXV et VIIII in ordine, XVII in margine scripti, sex paginae integrae archetypi tricenorum binorum versuum, si nihil excidisset. inde ad v. 1008 habes paginas Laur. duas, XXXVII et unum versum cum adscriptis XXXVIII, omnes CLXX, quinque paginas archetypi tricenorum quaternorum.

Septem paulo minus fecit detrimenti; ratio tamen constat. a versu 119 versus sunt paginae Laur. 104, partim geminati, LXIII, paginae 105 LI, 106 XXXXVI, 107 XXX, paginae archetypi quinque tricenorum octonorum, ad versum usque 300. inde ad v. 866 paginae 107 LI, 108 XXXXVIIII, paginarum septem quadrageni seni, p. 116 LXV, 117 LVII, paginae 118 XXXIII; paginae archetypi quinque tricenorum septenorum. inde ad v. 939 XXVIIII et L, paginae arch. duae excurrentibus paucis.

Supplices primam habet lacunam versus 198, unde ad secundam, non v. 247 sed 301, versus in Laur. sunt XXV, XXXXVIII, XXVII, paginae archetypi tres. inde ad tertiam v. 464 versus XX, LII, LVIIII, XXXX; paginae arch. quinque tricenorum quaternorum. inde ad quartam v. 741 versus VIII, L, L aut LI, LI, LXXXIII, XXXXVI; paginae arch. octo tricenorum quinorum, partim senorum. inde ad v. 914 versus IIII, LXXVII, LXVI, XXX; paginae quinque tricenorum quinorum versuum.

Tantum est quod in libro Laurentiano vel obiter versato quivis deprehensurus erat; supersunt sine dubio, ut in silva antehac intacta, quae de eodem genere observari possint utilitate longe maiore quam aerumna. sunt tamen etiam quae assiduitatem et deliberationem requirant.

Codex ille, quem archetypum dixi, e situ et squalore aliquando protractus et apographis divulgatus videtur cum exemplaria nitidiora et integriora in promptu nulla essent: unde factum, ut lacunae illae eodem quo in Laurentiano modo dissimularentur in libris scriptis, quotquot extant hodie, omnibus, sitque iam factitanda critica in adparatu, cuius in illo libro omne est fundamentum positum. quidquid boni et exoptati ex Laurentiano vel etiam ex libris saeculi XIII poterit depromi aut extricari, illi archetypo acceptum referetur. at in barbarie et vitiis, quibus scatent Laurentianus et reliqui, cautione et circumspectione erit utendum ideo, quod ad emendationem aliquantum plerumque interest, instituatur ex corruptelae intelligentia et perspecta recte librariorum aberratione an ex glossematum suspicione, quae numquam ita adscribi potuerunt, ex aetiologiis plus minus commenticiis. quaedam in libris adesse nostris ex vetustissimis exemplaribus, quorum satis nobis ignotae sunt vicissitudines, tralaticia nemo negabit: sed ea fere erunt quae supererunt post eorum ex instituto nostro disceptationem, quae emendari potuerint ex observata librorum nostrorum ratione; cuius rei larga est vel in solo Laurentiano copia et in editione nostra maior, quam adhuc fuit, opportunitas; sed, quod dicebam, ut impigre sit attendendum.

Quae vitia ex archetypo in Laurentianum sint propagata, nihil est, quod sciam, ulla in re indicii. descriptum ipsum ex illo minime constat: non esse ad exemplar litteris uncialibus scriptum exaratum, multa sunt quae arguant: scriba eius litteras permutavit aut imitatus est eiusdem gene-

ris, quo ipse usus. si credendum sit archetypum nimis vetustum non fuisse, incredibile tamen est lacunarum illos locos, nullo adposito λείπει, et glossemata puerilia totiens verbis poetae immixta in codicibus reliquis plane eodem modo reddi. consentiunt enim illi in vitiis omnino omnibus, satis saepe singularibus: qua ipsa re evincitur a scriba Laurentiani ea non esse inlata. non sunt ei libri, ut praecipi consuevit, ex Laurentiano expressi, cuius neque rei praeterquam in Marciano et Florentino chartaceo indicium mihi occurrit, et conspirant egregie cum manu secunda Laurentiani, quae cum scripturas emendatiores et versus a prima manu omissos in eum intulerit, factum id oportet ex exemplari luculento eiusdem modi, quo est quaternio primus, qualia extitisse tunc, nova recensione nuper facta, satis est probabile. si extiterunt, non est credibile ad Laurentianum potius aegre ad illa correctum, quam ad ipsorum illorum munditiem, qui describere vellent, se contulisse.

Conici possit Laurentianum aliquot apographorum quae intercesserint intervallo ab archetypo illo distare et eorum apographorum naevos et ineptias confertim in eum immigrasse ideo, quod tempore quodam, credo extremo Basiliadarum aut Isaaci Comneni, imminuta monasteriorum lautitia, sublata scribarum librariorum disciplina et diorthoseos usu eruditulі sua manu, suos in usus, suo pro captu libros exararunt, inemendatos novis usque cum erroribus transcribendos aliis per manus tradiderunt. Laurentianus hanc prae se fert speciem ipsa scriptura et quod diorthosin nullam habet; quamquam videri possit casu aliquo omissa, ut argumenta fabularum et scholia, quibus spatia vacua destinata extant. sed illo modo fieri facile potuit quod factum videmus, ut cumulatis quae singuli, modice fortassis unusquisque, deliquissent, ingens mendorum summa conficeret: ut quae incuria fudisset, eadem industria qua verba poetae reconditissima enarrarentur: ut quae prior aliquis interpretamenta scriptura illa rudiore adposuisset, proximus in verborum continuitatem admitteret; nam pleraque id genus adeo sunt inscita, ut ex archetypo illo nostro repeti vix queant: ut postremo ex his omnibus paradosis quaedam conflaretur, quae ex diversis exemplaribus in Laurentianum et eum librum, quo usi sunt interpolatores saec. XII, praestantiorem eum fortassis ipso Laurentiano, transiret. doctrina in his imi subsellii grammaticis nulla est; quod adscriptum in Laurentiano vocabulis rarioribus solet esse ζήτει, non est manus primae: fidem et superstitionem quandam non continuo culpaverim. primus ille, qui in codicis archetypi maculis quae oblitterata fuerunt nullo lacunae signo ita aliquotiens transscripsit, ut versus componeret ex versuum particulis, fecit scilicet barbare, sed speravit satis factura quae superessent et interpretes inventura, haud adeo falsus animi. ac sunt hodie qui strophas Aeschyli, quae emendari non posse videantur, resectas cupiant, lacunae signum addi vetent. idem ille librarius si in Supplicibus locos multos, ex unciali quidem archetypi, ut videtur, scriptura reddidit perturbate, invenit fortassis in eo libro prope evanida, fecit quod et ipse feci in manu prima Laurentiani. proximi ab illo cum rem grammaticam ad suae aetatis consuetudinem revocarunt, nihil aliud quam cessisse in oblivionem Herodianeam testantur; fecerunt idem interpolatores saec. XII et homines non indocti qui saec. XIII, XIIII post brevem calligraphiae saec. XII instaurationem et ipsi sua manu libros Laurentiano simillimos, nullo diorthoseos vestigio adornarunt. reliqua maximam partem inscii admiserunt aut errore excusabili, cum errores manifestos et procliviores priorum se correcturos putarunt. si quis Pers. vv. 131, 870; 702 H. vocabula πρώξ et κινύσσω, κηνύσσω numquam inaudivisset, πρῶν et κεινόω satis apta iudicaret vel certe sola eius conformationis nosset, quid mirum statim reposuisse. argumentum huius simplicitatis plerumque est emendationis evidentia, unde intelligitur vix usquam plus esse mutatum, quam quod uno festinantis oculi vel calami coniectu potuit confundi. nec longe ab hoc genere illud differt, quod supra attingebam, cum in locis doctam

aliquam antiquitatem aut sublime poetae commentum, aut etiam, ut in modo commemoratis, vocis insolentiam habentibus praeiudicatam quandam sententiae umbram longe a vero alienam sequuntur, vel ex aliorum locorum recordatione vel pectoris Byzantini angustiis et pingui iudicio natam, atque lenissima aliqua correctione poetae obtrudunt. non est ea fraus et fallacia, qua homines illi tam subtili usuri numquam fuerunt: quamquam fraudem nobis factam fatendum est, qui nimis patienter talia mirati sumus. extant non parvo numero, numquam animadversa; tanto quidem, ut nesciam an pleraque quae in Aeschyli poesi eximia quadam humanitate excusari solent, sententiarum obscuritas, sermonis tumor et insolentia, in Persis adeo ieiunitas et languor, Byzantinis nostris debeantur. exempla quaedam adponenda esse intelligo. Persarum locus 922 H.

λαοπαθέα σέβων ἀλίτυπά τε βάρη
πόλεως γέννας πενθητῆρος

ab Hermanno non est eatenus emendatus, quin sententia prioris versus sit protrita et ad taedium usque recidiva, *ἀλίτυπα* plane Byzantini coloris; in altero *πόλεως* ad *βάρη* plerumque refertur, *πενθητῆρος* ad *γέννας* secundum scholia. intelligi praestabit *πόλιν πενθητῆρα*, quae est Cissiorum, ut est in Choeph. 418 *Κισσίας ἰηλεμιστρίας*. *βάρη* planctum illum, *κροτητὸν καὶ πανάθλιον κάρα*, denotat, unde epithetorum depravatorum medela pendebit. scripsi *λακοποθέα*, formatione ea qua sunt apud Aeschylum *μενέγχης*, *φυγαίχμας*, et *ψαλίτυπα*, quod violentius amicis quibusdam visum. sed codex habet *σεβίζων ἀλίτ.*, e scriptura minuscula, in qua syllabae *ων* compendium fuisse puto paulo negligentius ad proximam litteram dilatum, ut saepe fit in ipso Laurentiano: ea littera fuit *ψ*, satis similis *ιξ* in quadam scriptura. *ψαλίς· ταχεῖα κίνησις* Hesych. 148 et *ψαλίττεται· ἁμιλλᾶται* 151.

In Agamemnonis v. 125 non memini qui discedendum putaverit ab interpretatione scholiorum, ut *στόμιον* sint *lupata*, quae *procusa* dicantur, nisi pro *προτυπέν* placuerit *πρότυπον praefiguratum*, ut Hesychius 3436 *προετύπον*, *προεδήλον*, ecclesiasticum, puto, genus loquendi; deinde *in castris esse*, uti rectissime quidem *στρατωθέν* Hermannus explicat, cum ita sit apud Rhianum Paus. 4, 17

οὔρεος ἀργεννοῖο περὶ πτύχας ἐστρατόωντο —;

postremo *tenebris occuli*, *μὴ κνεφάσῃ*. res multo videtur planior. Calchas male metuit de Diana, quod meminit consecratam esse in Artemisio propter iter a classe Graecorum tenendum. Euripus est qui dicatur *στόμιον*, quod eodem sensu de *ostio* et *faucibus* extat Cho. 796. *προτυπέν* nescio an intellegi possit *protractum*, *porrectum*, *στρατωθέν* de montibus qui eum maris tractum *vallabant*, *circummuniebant*. *Τροίας οἴμῳ* poeta scripsisse videtur, non *οἴκῳ*, et *μέτα* non *μέγα*. *κνεφάσῃ* erit referendum ad *κέλευθον* v. 122; etsi ea vox translato quodam sensu adesse videtur, ut apud Apollonium 3, 637 *ἦδε κέλευθος ἡρώων*, eoque regit verbum *λαπάξει* v. 125. *μοῖρα* fortasse abibit in *θημῶνα*, si is locus explicandus sit de more vetustissimo orientis populorum cogendae in publicum praedae urbium captarum. Deuteron. 13, 16 *καὶ πάντα τὰ σκῦλα αὐτῆς συνάξεις εἰς τὰς διόδους αὐτῆς καὶ ἐμπρήσεις κτλ.*; Xen. hell. 1, 6, 14. eo spectat *πρόςθετα*, iuris attici vocabulum secundum Hesychium, quod significat *addictum*, *adiudicatum*.

Choeph. 773 nondum perspecta est Byzantina sententiae exilitas, cum fides habetur scripturae traditae *δὸς τύχας τυχεῖν δέ μου κυρίως τὰσωφροσυν ευ μαιομένοις ἰδεῖν*. scriptum fuisse conieci pridem *δόμου κυρίοις τεᾶς ὀφρύος νεῦμα (νεῦμ') ἱεμένοις ἰδεῖν.*

Promethei v. 49 *ἅπαντ' ἐπράχθη* non memini qui defenderit. adscripsi locum Aristidis *εἰς Ἀσκλ.* p. 69 *καὶ ταῦτά τε οὕτως ἐπέπρακτο*, *atque haec feliciter mihi cesserant*, quem ad modum melioris aetatis grammaticus suppleto *σοί* interpretari potuit, contortius quidem quam pro poetae

manu. sed quod hodie editur, nescio quid habet importuni haud dissimile Byzantinorum inventis. *omnia molesta esse* cultissimus poeta dicere non potuit, *molestiae aliquid habere* dicturus fuit. conicio scripsisse

ἅπαντ' ἐπώχϑη πλὴν ϑεοῖσι κοιρανεῖν.

verbum extat fr. 162 et ὠγμός, ὤζεις Eum. 126, 127. dixerat Vulcanus v. 45 ὦ πολλὰ μισηϑεῖσα. Agam. 1031 Casandra: ὀτοτοτοί, chorus: τί ταῦτ' ἀνωτότυξας et 1266, 1267 eidem φεῦ φεῦ et τί τοῦτ' ἔφευξας. Sept. 616 ἐπεξιακχάζειν. litterae ω etiam in Laurentiano interdum ea est forma, ut sit plane ooo, addito insuper a primore parte curvamine, quod non longe abludat a ϱ.

Sept. 25 πυϱὸς δίχα non putaverim e glossemate ascitum, sed e scriptura iniuria suspecta sublectum; scilicet πηϱός. δίχα non erit *utroque oculo*, sed *praeterea*. φάους δίχα duriusculum existimaverim.

In Eumenidibus vv. 603 et 899 et alia plura sunt Byzantinae scaevitatis exempla, satis facilia ad emendandum. in Supplicibus plurima satis difficilia. unum levius ponam, v. 735. editur

οὐδ' ὅϱμος οὔτε πεισμάτων σωτήϱια

locutione ornata, sed legitima. at σωτήϱια, si quid video, absonum est a loci colore: non de servanda e periculo nave agitur, sed de tuenda. scriba propter vocabuli novitatem aberravit ab eo, quod erat πείσματ' εὐναστήϱια; secutus, ut in reliquis, exemplum litteris minusculis scriptum.

Si investigata fuerint omnia quae Aeschylum insederunt brevi illo vix unius saeculi spatio, quo hominum socordia exemplaria vetera praeter unum intercidere, nova maiore barbarie oppleri est passa, quam ullum alium prope scriptorem, fueritque eis medela adhibita harum quae eduntur copiarum beneficio, simplici quodam et trito artis tramite, quo tamen, si res ferat, vel ultra Byzantinorum angustias aliquantulum possit procedi; ut in poeta iam pridem derelicto, erunt quae, ut nunc est, fortuna reguntur, cum aut grammatici loco invento aut reconditae artis aliqua observatione aut divinatione legibus prope soluta res geritur. fuerunt qui haec aliquotiens felicissime attigerunt; saepius tamen inauspicato temptari et usurpari mirum non est ideo, quod in hoc genere quid Aeschyli esse possit, quid non, difficilius, quam Byzantinorum quod sit e continuo codicis usu addiscitur.

Sed hoc est, in quo discessum est a consueta Aeschyli tractatione. nam postquam pronunciatum fuit a viris doctis, qui codicem Laurentianum inspexerunt, nihil elici posse scripturarum prorsus novarum, quod lucem ferret locis corruptioribus, percrebuit illa opinio, ea vitia pleraque aetatem codicis Medicei multis saeculis superare. inde factum, ut ad ea quae conclamata apud Aeschylum viderentur, potissimum emendatio sese converteret ac libertate et impunitate multa uteretur. novissime hoc ipsum coepit displicere. vir doctus Batavus, Agamemnonis editor, ita est conquestus: *editiones enim nuperrime paratae scatent innumeris coniecturis levissime et sine ulla veteris scripturae reverentia textui illatis. nec tantum nova ubivis verba intruduntur et integri saepe versus mutantur, sed etiam passim commovetur versuum ordo, passim lacunae pro arbitrio implentur. — profecto Aeschylus ipse, si pauculas illas ex magno naufragio tabulas ei liceret inspicere, tempori diffisus cum Prometheo suo vincto exclamaret* καὶ μὴν φίλοις ἐλεινὸς εἰσοϱᾶν ἐγώ: cui non adsentior plane de falsa Aeschyli temporis fiducia. scilicet χϱόνος καϑαίϱει πάντα, neque verendum ne quae frivola sunt diuturna sint, neve quae melioris commatis, premantur aut intercidant. ipsa saeculorum pristinorum illuvies adiumentum praestabit haud paenitendum ad vindicandam poetae et officii critici condicionem.

Dictum est, quem haec codicis editio ad capessendam emendationis normam utrimque usum habeat, et qua parte bonas scripturas praebet et qua vitiosas. restat dicendum de alia

parte, quae proxime illas attingere videatur, cum contineat vitiorum codicis emendationem a veteribus hominibus factam; sed quam maiore ex parte procul habendam ab hac editione indicavi iam supra identidem, cum de manu secunda mentionem feci.

Ea manus secunda plerumque habetur pro legitima codicis Laur. diorthosi facta non multo post finitum librum ex eo ipso, unde descriptus est, aut alio simillimo. mihi haud ita parvo post tempore facta videtur, cum vetus scriptura renovanda iam esset, neque ex eodem archetypo, quod quae in ipso Laur. adnotantur satis longe, maxime in prosodia, discedunt; neque ex simili, quandoquidem utriusque libri diversitas aliquanto videtur maior fuisse quam ex solo Laur. potest iudicari. quae controversia originem habet in difficultate pervestigandae eius in libro Laur. retractationis et in iudicio, quod factum est de reliquis Aeschyli libris mstis speciosius quam circumspectius. codicem Laur. sine correctione iacuisse neglectum, dum primus quaternio totus abisset, liber nullus inveniretur e quo fabularum argumenta eo spatio, quod ab eius scriba relictum fuerat, possent suppleri, carendum esse tam luculento exemplo eius diorthoseos, de qua scholia ad Dionysium Thracem p. 736 testantur, sine gravibus argumentis pronunciari non poterat. nec abs re erat moneri de cautione in libris noviciis usurpandis, quorum fallaciae in tot poetis latinis et graecis codice aliquo primigenio sint revictae: modo ne damnati hoc modo essent libri, quos nemo dum exploraverat. namque relatum legimus praeter Laur. et praeter Venetos duos membranaceos, quorum alter sit saec. XIII, reliquos omnes esse chartaceos et recentioris aetatis: cum tamen in editionis Hermannianae indice aliquot notentur bombycini, sitque eius notae nec contemnendae aetatis codex tertius Venetus cum Mediolanensibus et Florentinis aliquot prorsus antehac incognitis. Venetus autem ille membranaceus sane tam est fide indignus, ut quidquid post eum scriptum est, iure possit contemni, non autem est saec. XIII, sed XV. aestimator quidam harum rerum egregius Michaelis Apostolii manum aiebat referre, de quo posthac coepi dubitare.

Nihil hinc derogatur de auctoritate codicis Laurentiani, sed ad utilitatem aliquantum accedit. nam absque eius manu secunda foret, nesciremus duplicem esse stirpem codicum Aeschyli, prout supra indicabam: alteram eam, quae prima Laur. manu tradita extat praeter quaternionem unum Persarum, unum et maiorem partem alterius Agamemnonis, qui deperierunt; deinde alteram, cuius indicia deprehendi in quaternione primo Persarum saec. XII, in scripturis a ma. secunda passim adnotatis in Laur., quae supplentur e codicibus saec. XIII, e codicibus Agamemnonis saecc. XIII XIIII XV. est haec recensio quaedam ab eruditis saec. XII facta codicis ope non multo Laurentiani membranis vetustioris.

Nolo haec certa ac rata haberi, antequam singillatim alio loco demonstrata fuerint; quam ob rem a separanda penitus utraque recensione abstinui. breviter commemoranda putavi, quia tamen ad codicis Laur. notitiam pleniorem pertinent ac nequis aut ignoret manus secundae additamentorum bonam partem hic omitti, aut ex eis, quae adsunt, praeter quidem quaternionem primum, de rebus minutis multis ad discrimen saeculorum XI et XII revocandis iudicium fieri putet posse. in omittendis et admittendis id potissimum spectavi, ne qua umquam primae manus scriptura, quae liquido extaret, supprimeretur: ut liquido ubique cognosceretur, effici non potuit. ubi altera utra tantum, aut prima manus aut secunda, reddi poterat, dedi primam ubicumque satis de ea constabat; si vel minimum dubii de ea esset, secundam. in reliquis nescio an clementius rem gesserim, quam facturus fuit, qui secundae manus meram diorthosin existimaret. namque quae bifariam scripta reddi utraque poterant, non dissimulavi, lectorem ratus ipsum assecuturum, uter accentus Herodianeus aut novicius, aut utrum personarum siglum in margine,

velut p. 32, 14 (Agem. 266 H.) et in superioribus, interpolatoris esset. quae nova a manu secunda adiecta sunt, primae non adversantia, edidi etiam ubi typorum discrimine indicari non potuerunt, quotiens utile visum sciri, quo in codice modo scripta extarent; omisi, si aeque recte posthac proferri poterant, aut adeo ex re visum seorsum quae prima manus dedit, quaeque altera deinde addidit, perspici et perpendi; velut in Septem p. 119 aliquotiens *HMIX* nota accessit, quae ab interpolatione profecta non videtur.

Vix putaverim plura de hoc genere omissa aut in hac editione studiose intuenti dubia futura, quam reapse in codice Laur. iudicatu difficilia aut ambigua de utraque quidem manu fuerunt, aut ad primae cognitionem integram supplenda posthac restant. sunt ea operae non mediocris et in eis fabulis, ubi coniuncta sunt cum librorum recentiorum pervestigatione, prope infinitae, cuius specimen curabo, ut mox prodeat volumen duas priores fabulus complexum. pergam deinde in concinnando reliquarum fabularum apparatu, quem praeterquam unius collectum habeo locupletem et idoneum; et quoniam efflagitari video, faciam obfirmato magis animo, quam potui adhuc.

Namque fateor addubitasse me, an his quaestiunculis pertractandis tempora aeque sint inimica, ac sunt a poesi quavis profundiore alienata: nec adeo me ipse emancipaveram litterulis et apicibus, quin potius haberem brevissimis quibusdam sed elaboratis scriptionibus quae reppe-rissem concludere et auspicium ei facere, siquis olim plenioribus ingenii velis ad hunc poetam accessurus esset. itaque praeter quod de artis Aeschyleae summa et interpretationis initiis coeperam dispicere, anquirebam, numqua exigua in parte dignum aliquid ipso poeta et G. Her-manno et hisce copiis posset perfici, aut de emendationis rationibus summatim sine molestia exponi.

Sunt quaedam huius moduli scripta et scribentur fortassis posthac privato consilio ad amicos. nunc experiar, ecquos adsentientes sim habiturus in triplici istac quaestione, de archetypo codicum omnium qui restant, de corruptelae maximam partem aetate satis recenti, de librorum aestimatione: ad quas res diiudicandas quae collecta sunt, edentur eadem cura, quo conquisivi; sed eduntur potissimum ut recognoscantur et augeantur. meos enim in usus quaesiveram, neque umquam totum poetam recensere, sed rei criticae statum et condicionem explorare in animo fuit. ad gravissima quaedam vires vix sufficiebant, in minoribus tempus interdum deficiebat. ipsum hoc volumen auctor sim, ac mandabo ipse, si occasio fuerit, ut exigatur denuo ad membranas Laurentianas. codices sunt aliquot extra Italiam, qui conferri utiliter poterunt ad haec, quae eduntur: sive enim ex ipso Laurentiano originem ducunt, statim id patebit; sive e manus secundae recensione, collineabunt, ut opinor, cum eis, qui a me excussi sunt. quodsi quis suopte iudicio totam de recentioribus libris quaestionem suscipere voluerit simulque egregie de supellectile Aeschylea mereri, licebit et Italos et Gallicos Septem fabulae libros, vel Italos certe eos conferre, quibus in Persis et Prometheo usus sum.

Nihil enim ad illam fabulam in numerato habeo praeter diligentem textus Laurentiani collationem: nec scholia quidem, in quibus de integro conferendis reliquis in fabulis operae pretium feci, absolvi. quae de prima manu addenda, de secunda tertia quarta quinta nova pro-ferenda habeo, statui pridem occasione data seorsum edere, cum abunde esset quod agerem, ante-quam ad commentandam eam fabulam aut repetendam Italiam veniretur.

Id num satis commode hoc loco fieri liceat, lubet hoc tempore praetemptare. haud adeo absonum putaverim exemplo commonstrari, cuius modi ista sint, quae reddi typis aegre posse supra commemoravi, neque aliter institui rem potuisse. quod de primae et secundae manus intercapedine supra commemoravi, propemodum totum examinari licebit; nec de cura, puto,

dubium erit, quam in eam quaestionem remque omnem impendi, etiamsi a quattuor aliorum vv. dd., qui certatim codicem excusserunt, testimonio mea discrepabit adnotatio. memini certe me hanc fabulam conferre feriis vindemialibus anni LXIII, quibus mea causa codex in locum multo augusta sua bibliotheca lucidiorem fuerat delatus.

